

1767, 5-48.
18

DISSERTATIO
MEDICO-FORENSIS
DE
PART V LEGITIMO

QVAM
SVMMI NUMINIS AVSPICJSS
CONSENTIENTE
GRATIOSA FACVLTATE MEDICA

PRAE SIDE
CHRISTIANO RICKMANN
MEDICINAE DOCTORE

D. XVI. OCTOBR. CICIOCCCLXVII

P V B L I C E D E F E N D E T

IO. GABRIEL GOTTLIEB DOPPELMAIR

BRANDENB. BARVTH.

MEDICINAE DOCTOR ANDVS.

IENAE

EX OFFICINA HELLERI.

34

CHRISTIANA EDITION
SACRAE SCRIPTURAE VELLUM
ET CLOTHAM

SACRAE SCRIPTURAE VELLUM

CHRISTIANA EDITION
SACRAE SCRIPTURAE VELLUM

CHRISTIANA EDITION
SACRAE SCRIPTURAE VELLUM

CHRISTIANA EDITION

P R A E F A T I O

Tametsi haud paucae quaeſtiones ab eruditis controuerſae in Medicina Forenſi occurſunt, nulla tamen res maiores fere motus atque diſceptationes non ſolum inter iurisconsuſtos atque medicos, ſed etiam inter medicos ipſos ſaepe excitauit, quam partus legitimi diſquiftio. Cum ſcientiis nihil magis noxiūm fit praecudiſciis, auctoritatis praecipue, quoniam id ea efficiunt, ut aſſerti cuiuſdam vel falſitas vel veritas accuſationi animi lance prorsus non expendatur, cum nudum atque erroneum auctoritatis vel alijs praecidiſci fundamentum poſitum fit: miyrum non eſt, quod ex omni fere aeuo de partu legitimo in utramque partem fuerit diſputatum. Multa enim, quod feribit Perilluſis D E HALLER, in iuris ciuilis codicem huic pertinen-
tia transfluuerunt et magna HIPPOCRATIS auctoritas fuit, ut etiam vltra, quam fuiffet necesse, in tempore partus et alibi ipſi fit obſecutum. *)

In partum itaque legitimum inquirens, eo facilius mihi perſuadeo, hanc qualen- cunque diſquiftionem aequi bonique fa-
cturos eſſe BENEVOLOS LECTORES, quo magis animus fuit decenti ſtudio, pro viribus saltim, de hoc argumento diſſe-
rendi.

*) In H. BOERHAAVE Method. Stud. Med. Amstel. 1751. p. 803.


P R A E F A T I O.

rendi. Spero fore, qui ita illud suscipiant aequi bonique rerum aëstimatores, uti ante aliquot tempus Disquisitiones Osteologicas, germanico idiomate a me conscriptas, a nonnullis in meliorem partem susceptas fuisse certo scio. Non quidem me fugit de qualicunque hocce scripto et speciatim de tradatione de medulla ossium, tamquam ex scriptis HALLERIANIS deputata, in relationibus quibusdam eruditis iudicatum fuisse, ubi hoc tamen mihi sumere posse videor, quod ea, quae de medullae secretione locutus sum, inde minime hanferim. Et licet Perillusiris DE HALLER etiam de medulla et quidem erudite nonnulla differuerit, tamen in lectionem ipsius vasti operis physiologici, quod tunc temporis nondum totum proslabat, plane ante non incideram, quam mea qualiacunque conscripsisse, quod multis verbis euincere propositum meum hic non permittit, sed facillimo negotio patebit his, qui illa scripta cum meis comparare voluerint. Fundamentis nonnullis secundum b. HAMBERGERI principia de secretione in genere praemissis, ea ad secretionem medullae applicando, de hoc argumento differui, quod his principiis non admissis in scriptis illis physiologicis pertractatum est.

Ut vero conatibus hisce faueas hancque dissertationem aequiori animo excipias, LECTOR BENEVOLE, id est, quod iam in limine TE solum perquam rogatum volo.



DIS.



DISSERTATIO MEDICO - FORENSIS

D E

PART V LEGITIMO

§. I.

Sicuti medicina quibusunque promittit sanitatem, siue ipsa miseris aduersa valitudine vtentibus et morbi impetu detentis reddenda sit, siue bene valentibus et validis conseruanda et a morbis imminentibus praecauenda: ita quoque praeprimis iureconsultis, imo theologis, auxiliatrices saepenumero porrigit manus, operamque suam ea vtilitate atque fructu ipsis locat, vt quamplurimas controversias maiori circumspectio ne pariter atque iustitia diiudicare atque dirimere queant. Quis enim iurisprudentia medica vel leuiter imbutus nescit, non solum in foro iuridico, sed etiam in foro ecclesiastico

A

haud



haud insolenter moueri quaestiones ac controversias, quae sine subsidiaria scientiae medicae ope ex aequo et bono dijudicari non possunt? imo nonnullas esse iurisconsultorum leges eiusmodi conditionis, quae ex genuinis medicinae fontibus explicari debeant? Cuius equidem asserti exemplum ponam partum adducendo, quippe cum ratione ipsius nonsolum in causis ecclesiasticis, sed etiam iuridicis, tum criminalibus, tum ciuilibus motae controversiae ex castis medicorum effatis pendeant.

§. II.

In foro ciuili de partu legitimo atque illegitimo, quae haud leuis momenti distinctio iureconsultis in vsu est, saepe decidendum occurrit. Quum enim partus legitimus haereditatem paternam ab intestato acquirere atque transferre, et, qua haeres necessarius, querelam inofficii testamenti, nullitatis et inofficiosae donationis mouere, ac testamentum rumpere possit, in feudis etiam succedendi facultatem habeat; his vero praerogatiis partus illegitimus excludatur, a) ita, vt passim, vbi antiquis adhuc moribus inhaerent, b) ad honesta officia ipsum non admittant, neque in honesta societate aut tribu tolerare velint: fieri non potest, quin graues saepe propter *meum atque tuum* ex fundamento vel legitimatis, vel illegitimatis excitentur controversiae. At enim vero ita res saepe comparata est, vt iudices incerti fluctuantes accurata lance iustitiam expendere et suum cuique tribuere non possint, nisi antea renunciatione, seu responsione medica, statum controversiae prorsus cognitum habeant. Quaeritur enim

inter-

3

interdum, an femina, marito per longum tempus absente, grauida tamen, honestatem thori obseruarit, an criminis adulterii illud commaculauerit? an neogama, quae partum edit ante ordinarium a celebratis nuptiis pariendi terminum, a nouo marito, cohabitationis carnalis praeuenientis insonte, tamquam ab alio hospite praelibata et ante copulam sacerdotalem iam impregnata infimulari queat? et quid de diuortio aut erogando aut declinando in controuersiis, ex tali fundamento natis, statuendum? an femina post matrimonium vel morte mariti, vel diuortio facto, dissolutum, partum enixa, a pristino viro tales conceperit, an posthabet honestate atque castitate cum alio extraneo rem habuerit? an denique neo-nuptis, sponsaliis cum nuptiis confusis, copula fuerit ante copulacionem et hinc ipsi, sancti coniugii adyta nondum ingressi, festinati concubitus reprehensionem incurant? Quae cum ita sint, necesse sane est, ut medici in quaestione hanc de parti legitimo medico-forensem diligentius inquirant, eoque magis, quod vel variis argumentis partum illegitimum pro legitimo vendere, vel falsis accusationibus ipsius legitimatem suspectam reddere interdum tentent. Attamen tanta inter iurisconsultos atque medicos in hoc arguento rerum saepe confusio occurre videtur, ut statim nescias, cuius partes rectius sequaris, vnde etiam partum legitimum pro illegitimo et pro legitimo illegitimum passim iudicatum inuenies. Quod itaque argumentum, si accusationi animi lance ad iuris civilis intentionem atque tenorem probe iam perpendatur, haud sterilis et incongruus labor esse videtur.

A 2

2) Vid.



- a) Vid. STRYKIVM de Success. ab intest. Dissert. I. Cap. 2.
 b) Vid. Ius Proru. Saxon. L. I. art. 37. vbi legitur: alle die unehelich gebohren sind . . . die sind rechtlos.
- HEINECC. in Dissert. de leuis notae macula. §. 34.

S. III.

Priusquam vero ad euoluendum illud descendam, are non alienum existimo, nonnulla praemittere et praecipue sensum terminorum ad hunc scopum necessariorum antea explicare, ne in subsequenti dicendorum serie aut remoram patientur benevoli lectores, aut ambigui quid legisse putent.

S. IV.

Partus vocabulum sensu improprio varia significacione occurrit, quam hic recensuisse superfluum foret; proprie vero et frequentius partus *a pariendo* dictus medicis indicat istam actionem, qua foetus in lucem editur. Hic loci, vbi de partu legitimo quaeritur, denotat ipsum foetum, seu prolem ex utero materno recens exclusam; siue per vias ordinarias extra uterum expressum: siue sectione caesarea dicta, in abdome atque utero manu chirurgica instituta, extractum, caesonem appellatum: quippe in quo significatu iurisconsulti ipsaeque leges partus vocabulum assumunt. e)

- e) Vid. C. WILDVOGELII Dissert. Iurid. de Partu legitimo. Ienae 1710. §. XXI.

S. V.



§

S. V.

Partus (§. praec.) vel viuus in lucem editur, vel mortuus. Attamen distinctio foetus animati et non animati plane plane falsa et nulla est, ita, ut in meridiano sole caecutire hodie putetur, qui negare vellet. Quae distinctio originem duxisse videretur a veterum quorundam ista opinione, ac si corpus humanum ad certum quendam ordinem partium ad modum aedium extrueretur, d) vnde etiam foetus animatus audit formatus et in C.C.C. Artic. CXXXI. *ein lebendig gleichmäſig Kind.* Omnem autem foetum a primo statim imprægnationis tempore iam esse animatum, tamquam rem indubitatam et a celeberrimiis et egregiis viris iam demonstratam suppono. e)

Schol. Quid notet: gleichmäſig, dubium subortum esse legitur in 1.,
KRESSII *Commentatione in CCC.* §. 2. 3. ad Art. CXXXI. ibique partum vitalem indicare putatur, cum tamen de partu formato seu animato intelligendum esse vel exinde perspicatur: *Kinder so das Leben oder Gleichmaß empfangen haben etc.* quae verba in principio Art. cit. C.C.C. leguntur.

d) Vid. TEICHMAYERI *Instit. Med. Legal.* Cap. VIII.

Quæst. 3.

e) Ibid. Quæst. 2.

S VI.

Certo omnino et determinato a conceptione tempore foetum in utero matris ad maturitatem perduci atque statto pariendi termino ex ipso in lucem nasci, modo cum aliquali laxitate assumatur, ita ut de vnius alteriusue diei

A 3

aut



aut septimanae tempore anxii non simus; vnamini quasi consensu hodierni statuunt medici, castis obseruatis edocti. Experientia scilicet teste docent naturale et ordinarium pariendi tempus nono mense solari absolu*i*, ultraque finem trigesimae nonae vel interdum quadragesimae septimanae difficulter differri, atque etiam ante trigesimam octauam vel saepius trigesimam nonam hebdomadem non facile contingere. Partus itaque naturalis terminus incidit intra ducentesimum sexagesimum sextum atque ducentesimum octuagesimum diem a conceptione puta, ita, ut finis hebdomadis trigesimae nonae pro maxime regularis termini norma haberi possit; non obstantibus istorum, praecipue veterum opinionibus, qui homini non certum et praefixum, sed varium datum esse pariendi tempus aturnant. f)

Schol. Perinde est, sive per menses solares, quorum quilibet triginta diebus constat, sive per menses lunares, quorum quilibet viginti octo diebus exprimitur, calculum instituas. Si enim gravitudinis dies 280 diuidas per 30, quotus erit = 9 mensibus solaribus cum 10 diebus; si diuidas per 28, quotus erit = 10 mensibus lunariis, attenuam utrobius adiungit 40 septimanae. In tempore tamen gestationis computando triginta dies in quemlibet mensem esse computandos, ne error intercedat, iura ciuilia statuunt. g)

f) CONF. ROEDERI. Dissert. de temporum in gravituditate et
et partu aestimatione. Gotting. 1757.

EIVS D. Element. art. obster. §. 114. 217. 218. 219.

PHIL. IAC. WALTHERI. Dissert. de partu naturali eiusque
vera causa. Argent. 1748.

g) Vid. ill. HELFELD. Iurispr. forens. §. 269.

§. VII.



7

§. VII.

Quum vero naturae nostrae, sub qua intelligo nexum et efficaciam causarum physicarum, quibus mutationes in corpore nostro contingentes efficiuntur, vis quasi inferri eaque pro circumstantiarum varietate ita turbari possit, ut a legibus praefixis recedere nonnunquam cogatur; hinc pariendi tempus praeter naturam contingere posse, dubium non est. Tempus itaque, quod maiori interuallo a termino ordinario et praefixo recedit, praeternatura-
le esse patet. (§. praec.)

§. VIII.

Partus ergo est vel naturalis, vel praeternaturalis:
Naturalis est, quando ordinario et naturali termino in lu-
cem editur, et quia hic terminus requiritur, ut foetus
ad maturitatem perduci queat, talis partus etiam matur-
rus, eine reife zeitige Geburt, salutari plerumque solet;
(§. VI.) praeternaturalis vero est, quando a termino na-
turali recedit et tempore ab ipso alieno ex vtero mater-
no excluditur. (§. praec.)

Schol. Partus naturalis denominatio varia significacione occurrit. In sensu iuridico denotat talium partum, qui ex concubina natus est. In arte obstericia quoque, ubi sub voce partus non foetum recent natum, sed istam actionem intelligent, qua foetus ex vtero excluditur, partum na-
turem definit ratione modi, quo sit, quando nempe a solis viribus
naturae parturientis sine artificiosa obstericantis manu perficitur, seu
quando labores partus 6 vel 7 horas non excedunt; huic etiam partum

artis



artificiali seu praeternaturali ita opponunt, ut sub eo intelligent talera partum, qui sine auxiliatrice artificiosa manu absolui non potest.

§. IX.

Partus praeternaturalis (§. praec.) duplicitis est generis, nimurum vel terminum naturalem, ad maturitatem necessarium, (§. VI.) praeeoccupat, vel ultra ipsum protrahitur. In posteriori casu talis partus audit serotinus seu retardatus; in priori casu vero partus est non maturus.

§. X.

Qui, non maturus nimurum, (§. praec.) diuidi potest vel ratione temporis, quo naturalem terminum praecurrit, vel ratione potentiae viuendi sive vitalitatis.

§. XI.

Si ad tempus, quo partus non maturus ex utero prodit, respicimus, (§. praec.) tunc partus vel praematuri seu perfecti, vel abortus nomine venit. Partus praematurus seu perfectus, qui etiam praecox audit, *eine frühzeitige Geburt*, dicitur quando sexto mense absoluto, seu post 180 vel 182 diem, qui cadit sub septimi mensis initium, ante naturalem tamen et consuetum pariendi terminum (§. VI.) nascitur; abortus vero, *eine unzeitige Geburt*, appellatur, quando ante septimum gestationis mensem ex utero egreditur, sive viuus tunc temporis, sive mortuus prodeat.

Schol.

❀ ❀ ❀

Schol. Non dubito fore, qui hanc distinctionem partus perfecti a maturo, qui etiam integer a nonnullis vocatur, non satis idoneam legitimatis disquisitioni iudicent. Distinctionem tamen inter partum maturum et perfectum, ita ut partus perfectus et praematurus pari passu ambulent, in hac disquisitione necessariam videxi, non est quod negari possit. Ea enim admissa, vi infra videbimus, iurisconsultorum hue pertinentes leges cum medicorum assertis optime quadrant, cum contra, si partus perfectus cum maturo confundatur et pro uno eodemque habeatur, dissensus intercedat. Neque etiam credendum est novum hanc esse partus perfecti a maturo distinctionem. Etenim B A V M G A E R T N E R V S b) haec de re ita habet: *Equidem vulgo partus perfectus et maturus pro uno eodemque habetur.* MARTIANVS autem in MAGNO HIPPOCRATE, Commentar. in L. de natura pueri p. 31, 32, notabilem inter utrumque differentiam intercedere statuit, eandemque similitudine, a seminibus fructibusque petita, illustravit. Sicut enim poma, si instans partium magnitudinem et conformatiōnē fere adepta sunt, perfecta quidem, aī nondum matura sunt, nec, nisi vi quādam et violento modo auellantur, a stipite paullatim excisato sponte deidunt, donec solis calore diuīus excoſta maturēcant: pari modo fortus, quoad membrorum numerum organicaque structuram, perfectus quidem esse potest, aī nondum maturus, nisi tempus gestationis naturale compleuerit, et ex lege et ordine naturae exitum ex utero quaeſuerit, membrisque suis satis obſervatus prodicerit, ut aerem et alīa menta extra uterum melius ferre, certiusque adolescere valeat.

B

Schol.



Schol. II. Abortus vocabulum varia significacione apud autores occurrit, sensu modo latiori, modo strictiori. In sensu latiori abortus est omnis foetus, qui ante nondum mensem solarem absolutum ex aliqua vi et accidenti nascitur. In sensu strictiori abortus modo significat foetum intempestive prorsus et ante septimum mensem editum; modo foetum mortuum exclusum sive maturum sive non maturum.

b) In Dissert. de differentiis partus viui et vitalis. Altorf. 1747.
§. XXIV.

§. XII.

Quod si vero potentiae viuendi seu vitalitatis partus immaturi habetur ratio, (§. X.) tunc partus vel est vitalis, vel non vitalis sive viuus stricte dictus. Vitalis dicitur, quando tanta iam instructus est partium firmitate atque robore, ut actiones seu functiones machinae necessariae perficiantur et hinc talis partus educari atque adolescere queat; non vitalis vero seu viuus stricte dictus nuncupatur, quando vitam ob partes nimis adhuc infirmas atque imperfectas, adeoque necessarias extra veterum functiones perficere non potentes, continuare nequit.

§. XIII.

Partus perfectus seu praematurus licet maturus non sit (§. XI.) et hinc decenti firmitate atque robore partus maturi nondum instructus, tamen, si decens ipsius cura habeatur, in viuis conseruari atque educari potest, experientia



II

rientia teste ; quatinquam multi eorum, qui ad terminum pariendi naturalem ex propinquio non accedunt, animam spirent ; abortus vero, etiamsi viuus expellatur, (§. XI.) quod vero, primis praecipue gestationis mensibus, rarius contingit, vitam tamen, si forsan inquam, rarissime saltim, vti infra vterius dilucidare occasio erit, continuare poterit. i)

Schol. Ex dictis simul intelligitur, cur in dubio partus praematurus et magis adhuc maturus seu naturalis viuis natus praesumendus sit, abortus vero contra.

i) Conf. G. c. BAVMGAERTNERI Dissert. de differentiis partus viui et vitalis 1747. Altorf. §. XVII. XVIII. XIX. XX. XXI.

§. XIV.

Partus ergo perfectus seu praematurus est partus vitalis, abortus vero ordinarie est partus non vitalis. (§. XI. XII. XIII.)

Schol. Partum matrum seu naturalem (§. VIII.) ob partes satis iam firmas et robustas in vita persistere posse, adeoque vitalem esse, nemo dubitat. Ne tamen hic vitalis maturus atque naturalis cum vitali perfecto siue praematuero confundatur, quod multi neglexerunt, cauendum est. Omnis enim partus maturus seu naturalis ob partes corporis satis iam firmas educari potest, ast non omnis partus, qui educari potest, est maturus atque naturalis, cum nonsolum partui maturo, sed etiam praematuero vitalitas conueniat. „Partus tamen post sextum



„gestationis mensem absolutum a die 182. secundum Hippocratis k)
 „computum, vel a die 180, quippe ab initio septimi mensis, vita-
 „lis nasci potest et hinc simul clarum sit, cum in dubio partus vi-
 „talis post sextum mensem seu diem 180 vel 182 a contracto ma-
 „trimonio natus, praesumti possit ex non anticipato concubitu pro-
 „genitus; partus vitalis vero ante septimum a celebratis nuptiis men-
 „sem, ex praelibata venere ortus censeatur.

k) in Lib. de septimestri partu in princ.

§. XV.

Ad omnes has partus species (§. VIII. ad XIV.) ad-
plicari potest iurisconsultorum inter partum legitimum at-
que illegitimium distinctio, ut iam explicatum ibo.

§. XVI.

Quae itaque sit partus legitimi atque illegitimi notio,
iam praemonendum est. Partus legitimus in genere est,
qui secundum leges natus est. Quae leges vel sunt istae,
quas a natura sibi relictæ ratione temporis, quo partus in
lucem editur, obseruari constat, (§. VI.) vel leges iuris
ciuilis.

§. XVII.

In primo casu (§. praec.) de partu legitimo medice
sic dicto sermonem esse, facile perspicitur. Et in hac
signi-



significatione partus legitimus cum partu maturo atque naturali (§. VIII.) conuenit; illegitimus vero in hoc significatus est omnis partus praeternaturalis, adeoque et perfectus seu praematurus et abortus. (§. VIII. IX. XI.) Qui vero significatus, cum ad sensum iuris civilis minime sit accommodatus, a medicina forensi saltim excludere debet, licet in reliqua medicina admitti locumque habere possit, quamvis talem partum melius maturum dixeris, cum sine necessitate verborum significatus multiplicari non debeant. Cum enim in dijudicandis casibus medico-forensibus ciuilibus partum legitimum in sensu medico aliquando sumserint medici, errores quam maximos commiserunt saepe. In foro nempe ciuili partus legitimus esse potest, qui non est maturus, adeoque in sensu medico illegitimus; itidemque in foro ciuili interduum illegitimus habetur, etiamsi sit maturus adeoque in sensu medico legitimus, v. g. ex amore adulterino ab innupta natus.

§. XVIII.

Quod si vero in sensu iuridico partum legitimum assumunt medicinæ forensis auctores, (§. XVI.) ita eum definire solent, quod iste partus sit legitimus, qui ex iusto matrimonio nonsolum, sed etiam tempore ad viuendum apto, quo haereditatem adire potest, est natus; vbi non nulli etiam addunt, quod debeat esse monstri expers. Haec duo momenta vitalitatem et ex iusto matrimonio procreationem coniunctim semper in partu legitimo adesse debere putatur ideo, quod ex iusto thoro procreatus tecum



stamentum rumpere, haereditatem adire, aut saltim, si
mox moriatur, transferre in alios non possit, nisi tanta
iam instructus sit partium perfectione atque firmitate, ut
in viuis subsistere queat; cum partui non vitali, (§. XIII.
XIV.) ob partes nimium adhuc imperfectas atque infir-
mas in viuis subsistere non potenti, adeoque pro mortuo
habendo, iura partus viui non competant, et hoc itaque
valere quod qui mortui nascuntur neque nati neque pro-
creati videantur. *l)* Hinc etiam partum ante septimum
mensem pro mortuo et non nato habendum esse scribit
ZACHIAS: *m)* ita enim nascitur, ac si non nasceretur,
vel nasceretur mortuus, cum habeat omnimodam repugnan-
tiam cum vita et omni aptitudine ad viuendum exspolietur,
qua non omnino carere videtur natus post hunc terminum.
Comparatur ergo natus ante septimum ei, qui nunquam
natus est, ita ut etiam si viuus nascatur, quia tamen ob sui
omnimodam imperfectionem viuere eum naturaliter est
impossibile, tamquam pro non nato habetur, neque aliter de
his aestimandum, quam de his qui actu mortui nascuntur,
qui neque nati, neque pro creati videntur. Ita etiam le-
gitur apud eundem: *n)* non obstat, quod quis in sexto
mense nasceretur et per aliquot horas, aut etiam dies, vi-
ueret, ut fieri posse non est ita impossibile, quin aliquando
non contingat etc. Nam quia hic partus habet cum vita
talem repugnantiam, ut vivere nullo modo posset, nisi ex
miraculo, id circa abortiuus dici debet, neque testamentum,
neque donationem rumpere, neque aliud quidquam il-
li prodeesse, quod vero et naturali partui prodeesse solet. cet.
At enim vero sicuti effectus partus legitimi (§. II.) cum
ipso



ipso confundendi non sunt, ita etiam iurisconsulti de
partu ad haereditatem transferendam et testamentum rum-
pendum idoneo aliter iudicare solent. Nonnulli quidem
statuere cum ZACHIA, partum ante septimum gesta-
tionis mensē natum, tamquam abortum et non vitalem,
pro non nato habendum atque illegitimum esse, in quem
tales legitimatis effectus non cadant.^{o)} Moderni iuris-
consulti tamen putant omnes iuris effectus ipsi competen-
te. „Verum merito, inquit WILDVOGELIUS, p) hic
„quareritur: quamdiu partus talis debeat viuere, ut iuris
„beneficiis vatur, siue an statim, ac natus est, eorundem
„stat particeps? Apud omnes Iuris Doctores, quotquot
„equidem vidi, de hac quaestione altum est silentium. Hinc
„suam annexit sententiam: partum, qui quinto mense,
„vel sexto nascitur, tam diu immaturum atque abortiuum
„in iure censeri, donec initium perfectionis et maturitatis
„terminumque a lege praescriptum attigit, qui in septimi
„mensi secundum diem cadit: ita, ut si partus talis ante
„illud perfectionis initium decedat, pro non nato habe-
„tur, nec sibi, nec aliis proficit, quia adhuc immaturus cen-
„setur ceter. Quod si vero 182 diem superiuuat, liceat
„postea statim moriatur, iisdem iuris beneficiis gaudebit,
„quo omnis aliis partus legitimus, quia qualitatem vizio-
„sam, qua natus est, exxit ceter. Nouiores tamen alii
iurisconsulti plerumque contrariam sine limitatione ample-
ctuntur sententiam, haereditatem ad partum pertinere,
modo viuus prodeat, vterius nihil requiri, ita ut haere-
ditatem transmittat, etiamsi illico, ne edita quidem voce,
exspirauerit. q)

Schoh



Schol. I. An et quatenus viuio quidem nato, non tameu' vitalis legitimatis effectus conueniant? id nostrarum partium non est, sed iurisconsultorum diiudicationi merito relinquitur. Medicis quidem sufficit indicasse, qui partus ob partes nimium adhuc infirmas in viuis persistere non possit, qui vero eam ob causam adolescere queat.

Schol. II. Quando contentio oritur inter cognatos atque haeredes, an partus viuu in lucem prodierit, an vero in partu vel breui tempore ante partum iam mortuus fuerit, quod dubium etiam in partu maturo non iustificari interdum excitari potest, quando labores graues et periculosi, cum forti haemorrhagia coniuncti, finem vitae parturienti imponant antequam foetus in lucem perfecte prodierit; tunc, vt talis controversia rite dirimi queat, obstetrix atque dum partus editus fuit reliqui praesentes examinari debent, an signa vitae in foetu obseruarint, v. g. artuum motus, vagitum vel sonum editum, an respirauerit ceter. vbi tamen notandum, quod foetus viuu nasci potuit, etiam si vagitum non ediderit (*die vier Wände beschrieben*) aut ob debilitatem, aut quia possibile est, vt fuerit mutus. Quod eam ob causam expresse ad decidendas veterum iurisconsultorum controversias dispositus imperator **I V S T I N I A N V s. r**) Neque praeceps et cum exclusione aliorum signorum vitae vagitum requirit Ius Prou. Saxon. s) vnius enim positio non est alterius exclusio. Si tamen de motu artuum, de vagitu aliisque signis vitae nihil certi conficit et testimonii talibus fides non habecatur, ad pulmonum docimasiam simul refugiendum est, an respiratione foetus facta aerem luxerint et hinc aquae innatent, an vero respiratione nondum incepta adhuc compressi

aquaee



aquae iniecci fundum petant: ex quo tamen experimento nihil certi
concludi potest, si vel putredinem iam conceperunt pulmones, vel ac r
quod interdum solent, inflatus fuit foetus.

- l) L. D. 129. de V. S.
m) Quæst. Medico-legal. L. I. T. II. Quæst. II. n. 17. 18. 19. 20. 21.
n) Lib. I. Tit. II. Quæst. X. n. 20.
o) Vid. M A S C A R D U M de probationibus Vol. 3. Conclus. 1090.
1152.
SAM. DE COCC E LI Ius Ciuale Controversum L. I. Tit. VI.
p. m. 78.
p) In Dissert. Iurid. de Partu Legitimo Ienae 1710. §. XII.
q) Conf. P. M V L L E R I Tractat. Iurid. de Iure Praegnantium
Cap. VII. §. XII.
BERGERI Oeconomia Iuris p. 38.
PHILIPPI in Vnu Practico Instit. L. 3. Elog. 1.
STRYCK in Vnu Moderno Tit. de stat. hom. §. 14.
CARPZOV Part. 3. Conf. 17. Definit. 18.
TECHMEYERI Instit. Med. Forens. Cap. IX. Quæst. 10.
r) L. 3. C. de posth. haered. inst.
s) Art. 20.

§. XIX.

Quum eam ob causam in medicina forensi de partu
legitimo inquiratur, vt medici in casibus obuiis in foro
ciuili decenter respondere et iudices ex medicis princi-
piis instruere possint, necesse est, vt ad iuris ciuilis te-
norem respiciant huiusque ad mentem de legitimitate
par-

C

par-



partus exponant. Ne itaque de partu legitimo aliena disferam, iurisconsultorum recentiorum asserta breuibus iam praemittere necessarium esse duco, ita tamen, ut legum hoc praecipue pertinentium, ex principiis medicis diuidicandarum, simul habeatur ratio.

S. XX.

Partus legitimus est, qui ex iusto matrimonio est procreatus; et quidem sufficit, quod in iusto matrimonio vel sit conceptus, vel natus. Quando enim partus nascitur, matrimonio vel morte mariti vel diuortio dissoluto, conceptio tamen in iusto thoro facta est, nullum dubium est, quin talis partus ex iusto matrimonio sit procreatus. Quod si vero cohabitatione carnali copulam sacerdotalem anticipante conceptio facta est, postea vero iusto matrimonio subsecuto nascatur partus, iudices aequae benigne ac iuste) in fauorem innocentis prolis de ipsius legitimitate iudicant, cum supposito iusto matrimonio ipsius effectus, quippe legitimitas prolis, negari atque ob parentum delicta innocens partus puniri nequeat. Partus illegitimus ergo est, qui ex iusto matrimonio non est procreatus; quo hinc etiam pertinet partus ex despensis natus, matrimonio haud subsecuto; vnde etiam talis, cui macula illegitimae natuitatis vel a matrimonio parentum post partum editum subsecuto, vel ex auctoritate imperantis deletur, legitimatus dicitur. Omni ergo tempore partus ante matrimonium conceptus, post iustum matrimonium con-



contractum vero editus, esse potest legitimus, et si vel
altero nuptiarum die ex utero prodeat proles. u)

u) L. II. C. de naturalibus liberis.

u) Vid. ill. HELFELD in Iurisprudentia Forensi secundum pande-
starum ordinem Tit. de stat. homin. §. 118.

SCHAVMBVRG in Compend. Iuris Digestorum eod Tit. §. 8,
BERGER in Oeconomia Iuris p. 38.

§. XXI.

Minime tamen partus ex concubitu sponsae cum
hospite quodam anticipato ortus et ante iustum a cele-
bratis nuptiis pariendi terminum editus, ex iusto matri-
monio procreatus est. Hinc partus ex copula carnali co-
pulam sacerdotalem praeueniente, ante iustum terminum
in lucem editus, tunc tantum legitimus est, si a patre
agnoscatur, vel a matre maritum esse patrem probe-
tur, v) ita, vt post sextum mensem a copula sacerdotali
absolutum natus, in dubio ex iusto matrimonio procrea-
tus presumatur, (§. IV. c. Schol.) legibus cum HIP-
POCRATIS effatis, ad quae prouocant, in eo conue-
nientibus, a septimo gestationis mense partum in vita
persistere atque educari posse.

v) l, §. praec. cit.

C 2

§. XXII.



§. XXII.

Quas itaque leges adducere (§. praec.) haud in con-
grum fore existimo :

L. 3. §. fin. D. de suis et legit. haered.

*De eo autem, qui 182 die natus est, HIPPOCRATES
scriptit et DIVVS PIUS Pontificibus rescripsit, iusto tem-
pore videri natum.*

L. 12. D. de Statu homin.

*Septimo mense nasci partum perfectum, iam receptum est
propter auctoritatem Dokissimi Viri HIPPOCRATIS et
ideo credendum est, eum, qui ex iustis nuptiis septimo men-
se natus est, iustum esse filium.*

*Afferit nimurum HIPPOCRATES: septimi menses in
praegnantibus, foetibus perfectionis initium adferunt;
— — — qui septimo mense nati sunt, supersunt quidam
licet ex multis pauci; — — — septimestres autem na-
scuntur diebus 182; id quod cadit sub septimi mensis ini-
tium. w)*

w) Conf. HIPPOCRATIS Opera ANVTIO FOESIO inter-
prete Sect. III. in Lib. de septimestri partu,

§. XXIII.

Vt itaque ad harum legum normam de partu legiti-
mo in vita ciuili rite diiudicari queat, notandum est,
quod



quod iusta lance plane illud fieri non possit, si ita eae interpretentur, septimo post celebratas nuptias mense, seu expleto anni dimidio, partum omnibus numeris absolutum, maturum et tali similem, qui sub finem noni mensis solaris, teste experientia alias nascitur, ex utero materno tamquam tempore conueniente prodire et hinc de partu, qui septimo mense a contracto matrimonio in lucem editur, quippe qui absolute legitimus sit, in foro quaestione locum non habere. x) Nulla quidem contentione inter coninges a marito zelotypo excitata, facile hoc largiri potest, quem iudex ad consequendam multam cohabitationis carnalis anticipatae non debeat quaestione partui septimestri mouere, id quod in iudiciis et consistoriis etiam vnu fori receptum est. y) Et sane allegatae leges sancire videntur, partum a septimo mense iustum videri seu praesumi in dubio debere ideo, vt fama coniugum in dubio in faluo sit atque in honorem matrimonii et fauorem infantis ansa multiplicibus motibus praescindatur, quae certo orientur, si omnes casus in foro ventilari deberent, vbi partus post sextum a contracto matrimonio mensem ante ordinarium terminum nascitur, quem etiam **HIPPOCRATES** nono mense solari absoluто 280 diem esse statuit. z) Et quidem non sine ratione, vti supra iam monui, partus talis ex iusto matrimonio ac non praecoccupato concubitu natus in dubio praesumitur, cum etiam partus perfectus seu praematurus, tamquam vitalis, educari possit et probabile omnino sit, maritum statim post initum matrimonium, cum plena potestas sit, coitum cum vxore sua exercuisse.



Quid vero, si maritus concubitus copulam sacerdotalem
praeuenientis sibi inscius, partum tamquam nonimestrem
et maturum suspectum habeat et pro suo et legitimo
agnoscere nolit et onus probandi velit suscipere? An tunc
praesumtio partus legitimi probationem in contrarium
excludit, vti multi putant? Non videtur incognita causa
marito inuito partum pro legitimo obtrudi posse a) et
contraria ratione in Facultatae Viadrina 1691 in causa per-
sonae illustris pronunciatum fuisse legitur, in qua matres
familias risere, quum audirent educcatos deferendere, par-
tum sanum ac robustum septimo mense natum videri. b)
Natura vtique per tantos saltus, vti infra videbimus, in
consummatione foetus plane maturi non agit tantaque
celeritate sobolem ad debitam celeritatem euhere nequit.
Dixit tamen HIPPocrates, vir doctissimus atque au-
toritate pollens? Sed praeterea, quod forsitan aliter, quam
ipse co vs effatus est, interpretari plerumque soleat,
certe etiam, quod scribit magnus VAN SWIETEN, c)
magnus HIPPocrates, si nouisset recentiorum in-
uenta, maior fuisset. Tota fere HIPPOCRATIS de par-
tu doctrina erroneis numerorum pythagoraeorum hypo-
thesibus superstructa est, d) et experientiam testem non
habet. Quis quaeſo medicorum praeconceptis opinioni-
bus non occupatus, serio hodie adſimare audebit ex men-
te HIPPOCRATIS, e) partum octauo mense enixum
nullum vñquam educari atque in vita subsistere, cum ra-
tione atque experientia potius in aprico positum sit, quo
proiectiores et ad ordinarium terminum proprius acceden-
tes sint foetus, eo etiam esse vegetiores? Rationi itaque

con-



consentaneum omnino videtur, vt leges istae, quae antiquorum talibus erroneis hypothesibus nituntur, corruant et vim suam hodie perdant, si experientia et melioribus rationibus hypotheses illae, tamquam ipsarum fundamenta, euertantur.

- x) Conf. P. MULLERI Tractat. Iurid. de Iure Praegnantium Cap. III. §. XIII.
- y) Conf. SAMVELIS DE COCCÆII Ius Ciuale Controuersum L. I. Tit. VI. p. 82.
- z) in L. de Carnibus circa fin.
- aa) L. 6. D. de his, qui sui vel alieni iuris.
- LEYSER in Medit. ad Pand. Spec. 260. M. 4.
- b) Confer. SAMVELIS DE COCCÆII Ius Ciuale Controuersum L. I. T. VI. p. m. 80.
- c) In Commentariis in H. BOERHAAVE aphor. §. 3.
- d) C. HIPPOCRATIS Opera A. FOESIO interprete Sect. III. in Lib. de Carnibus circa finem.
- e) IBID. et in L. de oestimestri partu in princ.

§. XXIV.

Medicis ergo (§. XX. ad XXIII.) ratione partus legitimi interdum in foro respondendum est:

- 1) an partus ex concubitu iustum matrimonium praeueniente sit procreatus, nec ne?
- 2) an partus, matrimonio dissoluto editus, ex pristino marito ortum ducat, nec ne?

§. XXV.



§. XXV.

Quod ad primam quaestione (§. praec.) attinet, necesse est, ut tam temporis matrimonii contracti, quam praecipue qualitatis partus eiusque perfectioris, vel imperfectioris conformatio[n]is habeatur ratio, an nempe partus adultior iam sit, quam qui a celebratis nuptiis esse queat. Nisi enim simul subiecti, de quo responderi debet, inspectio atque examen instituatur, fieri non potest, quin interdum vel partus non maturus, tam praematurus, quam abortus (§. XI. XIII.) praeter iustum atque rectum ex anticipato concubitu procreatus censeatur, vel partus maturus (§. VIII.) ex anticipata cohabitatione re vera ortus, pro praematu[ro] seu perfecto, et hinc pro tali, qui durante matrimonio conceptus sit, venditetur.

§. XXVI.

De partu ante septimum mensim a celebratis nuptiis nato, in foro ciuili non multum disputabitur inter aduocatos, an ex concubitu anticipato ortum ducat, nec ne, quum partum primis intercedentibus his mensibus v.g. quintimestrem, sextimestrem, vegetum tamen et robustum, ex praematuris amplexibus procreatum esse, nemo prudens et rationalis medicus hodie dubitet, omnesque etiam horum mensium tales partus in foro ex anticipato concubitu orti censeantur.^{f)} Quod si vero eiusmodi partus re vera est abortus (§. XI.) et intempestive prorsus exclusus, id non solum ex causis abortum producen-



centibus v. g. terrore, ira, nimia corporis concusione etc.
et symptomatibus, cum abortus tam a parte foetus,
quam etiam matris, ob grauem praecipue haemorrhagiam,
periculo non careat, sed etiam ex inspectione partus
ipsius instituta facile cognoscitur. Abortum nimirum indi-
cat statura seu magnitudo foetus breuior, corpus minus
torosum et macilentum, pondus leuius, artus graciles tenues-
que, hiatus rhomboides seu fons pulsatilis in vertice ma-
ior, ossaque cranii valde mollia, tenuia, quae latius ab in-
uicem dehiscunt, funiculus umbilicalis maxime tenuis, to-
ta cutis tenuis, rubra, sanguine per teneram epidermidem
pellucente, vngues molles, imperfecti cet. Abortus bi-
mestris, trimestris, quadrimestris, ordinarie mortuus in
lucem prodit, aut saltim ob nimiam debilitatem atque im-
perfectionem manifesta vitae signa prodere vix valet, cum
ne quidem in utero contentus ante medium gestationis me-
tu suo talia exhibeat. Hinc iure BAVMGAERTNER-
RVS g) ad rarissimos casus illum a MAVRICEAV in
obscurationibus suis annotatum relegat, qui narrat de
foetu quodam trimestri abortiuo, statura valde paruo,
viuo tamen nato, ita ut per dimidiam horam tam bra-
chia quam pedes commouerit atque os deductis maxil-
lis aliquoties aperuerit, (conuulsus forte) ut quilibet
adstantium facile hunc motum cognoscere potuerit.
Quod si vero viuus prodeat, quod ab abortu quinqueme-
stri et magis adhuc a sextimestri minus alienum est, nutri-
tione tamen ex materno sanguine haftenus per venam um-
bilicalem allato, cum plane alia iam viuendi ratio sit, ad
sui complementum carere actionesque necessarias et foetui

D

ma-



maturo conuenientes exercere nequit. Nimirum lac ex mammis fugere earumque papillas labiis prehendere non valet, lac vero in os instillatum aegre absorbet, et nutrimento minus blando, quippe convulsionibus aptus, mox interficitur et suffocatur, meconium atque vrinam excernere non potest, non vagit, sed oculis clausis quasi mortuus iacet et maxime debilis est, ita ut vix vitae signa prodat, nisi refocillatus in vitam quasi reuocetur, hincque animam, cum aerem etiam ambientem et pro teneritudine sua nimis frigidum perferre nequeat, ordinarie mox dimittit (§. XIII. XIV.)

f) Conf. SAMVELIS DE COCCETI Ius Civile Controversum
L. I. Tit. VI. p. m. 79.

g) in Dissert. de differentiis partus viui et vitalis §. XVII.

§. XXVII.

Disputatur inter medicos an partus abortiuus vitalis esse et in viuis conseruari possit. (§. XIII.) Plura quidem hinc inde leguntur exempla abortuum vitalium, quod tamen locum fere non habet, nisi forte interdum, quando sextimestris ad septimum mensem proxime accedit et omni cura decenter conseruetur. h) Et sane inter rariora pertinent illa apud magnum illum BOERHAAVII Commentatorem posita exempla, que hic loci adduxisse nonnullis haud ingratum fore existimo. Ita enim habet: i) Neque tamen immaturos foetus certo periire debere constat exemplo Fortunati Liceti, cuius mater grauida, succubibus in molesto itinere, et grauis tempestatis



pestatis terrore, abortum passa fuit, credens se non multum
a Septimo grauiditatis mense abesse: recens natus non su-
perabat palmae manus magnitudinem. Pater medicus ta-
men non desperabat de conseruando filio et tenerum cor-
pusculum souit in furno tepido, simili fere artificio, ac
Aegyptii oua tractare solent, ut absque incubatu gallinae
pulli excludantur; matricem iustruxit, quomodo alere debe-
ret tenellum, et sollicitudinis sua praemium hoc nactus
fuit, ut non tantum adoleſceret, sed multis operibus erudi-
tis clarus oſtogeſimum fore aetatis annum attingeret, dum
moreretur. Alterius non minus notabilis exempli in iis-
dem Commentariis h) sequentia proſtant verba: *Quin-
to grauiditatis mense excludebatur foetus, viuus quidem,*
ſed puſillus et debilis admodum: non plorabat et vix re-
ſpirare videbatur, oculi clausi erant, membra flaccida et
pendula; leues quidam motus testabantur vitam ſoli:
mollibus tectis linteis blando fouebatur calore, guttatum da-
batur pauculum lactis tepidi; quod deglutiit; mansit in eo-
dem praecise ſtatu per quatuor integros menses, leuiffimos
tantum motus faciens; nullum edebat placitum; nullum
excrementum depositum. Post quatuor menses absolutos in-
cepit plorare, excrementa deponere, corpus mouere, ubera
ducere et crescere simili modo ac alii infantes et tam felici-
ter quidem, ut circa decimum sextum a nativitate men-
ſem coetaneos robore ſuperaret.

Schol. Ut ex ſtatura magis accurate determinari poſſit vera abortus
aetas, haec conſerri poſteſt cum iconibus, quas de abortu bimeti,



trimestri, quadrimestri, quinquemestri et sextimestri posteritati reliquit
XERCKRINGIVS in *Osteogenia factum* Tab. 32. 33. 34. 35. 36.

b) Vid. *Dissert. modo cit.* §. XIX. XX.

i) Vid. G. VAN SWIETEN *Commentar. T. IV.* §. 1309.

k) l. cit. T. IV. §. 1310.

§. XXVIII.

De partu praematufo (§. XI.) seu post sextum mensem absolutum a contracto matrimonio ante ordinarium terminum enixo, disceptatur in foro, l) an ex cohabitatione carnali iustum matrimonium praeueniente ortum ducat, nec ne? Neque certe sufficit, quea quam plurimis inhaeret opinio, qui mensem septimum ex omnium medicorum ac philosophorum sententia legitimum esse pariendi tempus autumant, vt illius tantum temporis habeatur ratio, quo partus vitalis nasci potest, (§. XIII. XIV.) sed praeprimis conformatio et qualitas foetus magis vel minus perfecta et matura examinanda venit, an partus vitalis sit praematurus, an vero maturus et naturalis. (§. XXIII.) Multa quidem de viri robore, de ipsius perfecta atque agili sanitate, de temperamento calido atque sanguineo et seminis spirituosisioris efficacia; de feminae vero vigore, iuuentute, vietu pleno atque lauto, similibusque, tamquam circumstantiis, maturitatem foetus praecipitanibus, nonnulli in fauorem feminarum adducunt, sed nugae sunt, quibus frustra ad defendendam malam causam vtuntur, qui partum vitalem praematurum cum vitali maturo confundunt et solae vitalitatis rationem habent, cum fidis

accura-



accuracyorum artis obstetriciae doctorum obseruatis minime talia respondeant, ^{m)} sed ex errore calculi grauidarum ex fallaci mensuram, primis grauiditatis mensibus interdum adhuc fluentium, signo plerumque ducti, aut fictione prouenant. Et sane iustum suspicione adauget, quod a neo-nupta primus partus septimo a contracto matrimonio interdum nascatur maturus sanus atque robustus et vegetus, cum tamen iisdem circumstantiis manentibus, alter partus nouem menses semper in utero latere debeat, antequam maturus nempe prodire queat, quod neque ipse HIPPOCRATE'S negat, cum plurimum interire septimestrem adfirmet. (§. XXII.) Huc itaque etiam valet, quod de partu quinquemestri et sextimestri maturo iudicat GOELICKE: ⁿ⁾ calum, vanum et irritum esse subterfugium, si quae sponsalia cum nuptiis confudisset, ac proinde partum vitalem omnibus numeris absolutum edidisset, inde anticipationem istarum cupediarum excusare vellet, quod uterque parentum robusti et quasi athletici corporis habitus, nec non plethoricae atque viuiae constitutionis fuerit: mulieres enim Westphalae quae pane grassiori (bon pour Nicol) et Helvetiae, quae solo lacte et caseo vescuntur, indeque robustum corporis habitum contrahere solent, terminum partus ordinarium ideo anticipare non solent, sed feminarum tenerrimarum et maxime delicatarum vietum delicationi uitentium insofar, ordinarium et maxime solemne pariendi tempus expectare debent, ut partus suos robustos et ut loqui vulgo amant, quadratos vitales et legitimos excludant.

^{l)} Conf. SAMVELIS DE COCCÆ Ius Ciuiile Controversum

Tit. VI. p. m. 79. 80. 81.



m) Conf. R O E D E R E R I Element. art. obstetr. §. 219.

G. C. DETHARDINGII Dissert. de foetus immaturi exclusione
Rostochii 1748. §. 45.

Z A C H I A E Quæstiones Medico-legal. L. I. Tit. II. Quæst III.
de partu septimestr.

n) in Medic. Forens. §. 12. N. XIII. Sect. III.

§. XXIX.

In examine autem instituendo, an partus sit matus, aut praematurus (§. praec.) ad sequentia præcipue probe attendendum est :

- 1) quod etiam hic non solum talibus causis, quae contractionem vteri spasmadicam et nexus placentæ cum vtero solutionem efficiunt v. g. terrore, ira, lapsu etc. citius ad pariendum incitetur genetrix, sed etiam symptomata saepe grauiora adsint;
- 2) pondus foetus maturi sex libris saltim aequale est, in foetu praematufo paruo et macilento contra, vbi infra quintam libram saepe sublilit, alias inter quintam sextamque libram medium est. Qui itaque partus aequat pondere vel superat sex libras, maturus est, qui non aequat praematurus censetur, præcipue, si ad sextam libram ex propinquio non ascendent;
- 3) dimensio in partu maturo ad minimum aequalis esse debet longitudini vnius pedis atque sex pollicum. Si ergo magnitudo nondum aequalis est magnitudini vnius pedis, immaturus videtur partus; monendum enim

enim est, minorem quodammodo in mensura longitudinis, quam pondere maturorum et praematurorum differentiam saepe obseruari, cum massa magis, quam longitudine foetus vltimis mensibus crescere videatur;

- 4) funiculus umbilicalis in partu maturo magis crassus, in praematu vero magis tenuis est; in partu etiam praematu vitium secundinis adhaerens saepissime deprehenditur;
- 5) partus maturus capillis veris in capite est instructus, in praematu vero tales sunt tenerimi, albicantes, flauescentes et nitentes;
- 6) partus maturus vngues in pedibus manibusque magis longos habet et induratos; in praematu vero sunt ordinarie magis molles atque breues;
- 7) in foetu praematu masculino scrotum ut plurimum testiculis est vacuum; in feminino vero pudendorum labia insigni tumore eleuantur;
- 8) in praematu partu hiatus rhomboides in capite seu fontanella plus distat ossaque bregmatis ad suturae sagittalis longitudinem minus coeunt;
- 9) tenerima est cuticula in partu praematu et color ipsius non est albidus, ut in maturo, sed rubescens, labia oris praeципue atque auriculae carnis cruentae iuster se se fistunt, aures sunt tenues, palpebrae conniuentes atque tenerima supercilia;



10) in partu praematuero adeat impotentia decenter
exercendi actiones partui maturo conuenientes. Ni-
mirus partus maturus, ubi in lucem est editus, al-
lum exonerat, vrinam excernit, membra perfecte
mouet, vbera dicit, cibumque conuenientem obla-
tum appetit, oculos saepe aperit et viuide circumspi-
cit, vox sufficiens cum eiulatu se prodit etc; partus
praematurus vero imbecillis est, membra sine impe-
dimento et pro lubitu mouere, papillas labii praehendere atque lac fugere decenter aut plane non po-
test, cibumque oblatum non appetit, continuo fere
sonno detinetur; frigus aeris ambientis pro teneri-
tudine sua perferre non potest etc. o)

Schol. Quamvis etiam concedatur, haec signa, quibus partus maturus
a praematuero distinguitur, potissimum valere de tali foetu maturo, qui
fanus prodit et cuius incrementum corporis ob morbum, quem vel ipse
in utero, vel mater grauida suscitavit, nullam remoram est passum:
tamen exinde contra hanc methodum distinguendi nihil inferri potest.
Quia enim partus, absoluto licet nouem mensium termino natus, exiguus
et minus robustus esse potest, ita, vt praematuri speciem prae se
ferat, inde tamen legitimatis certitudini nihil detrahitur, cum non solum
ob tempus iustum, quo natus est, dubium illi, ac si durante ma-
trimonio conceptus non sit, moueri nequeat, sed etiam inde consequen-
tia non valeat, vt quoque partus praematurus partui maturo, sano ve-
geto atque robusto similis nasci queat. Veluti enim pro ratione singulo-
rum mensium substantia ossium foetus variam ac a priori diuersam exhibe-
bet faciem: ita etiam reliqua maturitatis signa, quae intra nouem men-
ses perficienda sunt, intra septem vel octo menses absolui non possunt.

Atta-



Attamen hoc certum est, quod recensita signa non distributiva, sed collectiva sumi debeant, si cum certitudine in foro de maturitate foetus respondere quis velit. Potissimum etiam ex iis partus septimestris et octimestris a maturo distinguitur, quo magis enim partus praematurus ad naturam maturi infantis accedit, eo magis signa partus praematuri euaneantur. Qui vero ex magnitudine foetus editi magis accurate determinare vult, num partus sit septimestris, octimestris, aut nonimestris, iste magnitudinem talis foetus conserat cum iconibus, quas de foetu septimestri, octimestri et nonimestri K E R K R I N G I Y S in *Ostrogenia foetuum* Tab. 37. 38. 39. exhibuit.

o) Conf. Dissert. Celeb. ROEDERERI de temporum in grauiditate et partu aestimatione Goeting. 1757.

E I V S D. Element. art. obsteir. §. 219. 220.

§. XL.

Quod alteram concernit quaestionem (§. XXIV.) inquirendum est, ad quod usque tempus partus ex semine mariti vel defuncti, vel absentis, vel diuortio separati nasci queat? Partus ferotini (§. IX.) rariora certe sunt exempla. Multae quidem leguntur narratiunculae, quae inter credulos homines adsensum et admirationem promiscue obtinent, cum tamen saepissime ficti quid subsit, quo refugia atque latebras quaesierunt feminae suspectae. Multae etiam excogitatae sunt causae, pariendi naturalem terminum (§. VI.) prolongantes, tam a parte matris, quam mariti atque foetus desumtae, p) quas omnes hic recensuisse longum foret. Sed certe summa in hac re opus

E

est



est circumspectione, cum a possibiliitate et rariori forsan casu ad quemcunque talem relatulum atque obuenientem concludere minime conueniat, ut taceam, partim causas retardantes in medium prolatas v. g. animi afflictiones, diarrhoeas etc. vteri praematuram potius constrictionem spasmodicam, adeoque intempestiuam magis foetuum exclusionem producere, partim vero v. g. morbos acutos et reiteratas in ipsis sanguinis millions, fidis obseruatis plane non respondere.

p) Confer. D. M. ALBERTI Dissert. de Partu Serotonio. Halae 1729.

XIV S D E M Dissert. de Grauiditate Prolongata Halae. 1735.

S. XLI.

Non enim proferendae solum sunt causae imaginariae, quibus partum retardari vulgo putatur, sed etiam casta experientia cum rationibus coniungi debet. Si accuratiores talium medicos obseruatores consulas, aliter plane sentire solent. *Nihil hic valet*, loquitur Celeberrimus ROEDERER, q) *energia seminis deficiens, morboſa, vel debilis patris constitutio, matris dispositio phtysica, hec̄tica, qua foetus ſufficienti alimento privatur, nihil status matris cachecticus, fluxus menstruus, tempore gestationis contingens, diarrhoea alijsue morbus; nihil nimia vteri amplitudo, nihil affectus matris vehementior, qualis tristitia; nihil diaeta matris extraordinaria, vel inaedia; nihil foetus debilitas et dispositio morboſa; nihil plures foetus in utero detenti. Tantum enim abeft, ut hae cauſae foetus moram in utero retar-*



tardent, ut potius accelerent. *Viduae quidem hisce vanis speciebus illicitam venerem defendere atque haereditates auctupari, quin imo medicos nimis credulos in suas partes trahere student, sed mera sunt ludibria, praetereaque nihil.* Imbecilles etiam feminas et morbosas vegetos tamen infantes ordinario termino in lucem edere atque in exclusione foetus prolonganda nihil plane contribuere obseruationes in contrarium docent.^{r)} Neque etiam morbos acutos et repetitam venaee sectionem, ut putant, foetui nocere illumque retardare crebra experientia loquitur. Ita de hac re habet illustris atque operibus Celeberrimus VAN SWIETEN:^{s)} *In muliere sex mensis grauida acutam pleuritidem, tribus venae sectionibus, intra nucham et spatium insitutis, curauit feliciter, quae postea debito tempore prolem peperit quam felicissime. Similes casus habentur apud alios.*

^{q)} in Element. artis obstetr. §. 217 218.

Adde G. C. DETHARDINGII Dissert. de foetus immaturi ex clusione Rostochii 1740. §. VII. VIII.

SCHYRIGII Embryolog. Sect. II. Cap. II. §. 19. sequ.

^{r)} CONF. ROEDERERI Dissert. de temporum in grauiditate et partu aestimatione, Goetting. 1757. §. IX. X. XI.

^{s)} in Cominentar. in H. BOERHAAVE Aphor. T. IV. §. 1297.

§. XLII.

Ad vnam alteramue tamen septimanam, imo ad finem forsitan decimi mensis gestationem differri posse, non est, quod negari debeat, cum accuratiores medici harum rerum



tales quid obseruarint. t) Hinc, ut etiam hic multiplicebus motibus et superfluis controversiis occasio praescindetur, Romani in fauorem infantis sapienter legibus fanciuerunt, ut in dubio partus decimelstris pro legitimo haberi debeat. Ita enim habent: *Si quis patri in decem mensibus proximis natus escit, iustus esto. v)* Post decem menses mortis natus non admittetur ad legitimam haereditatem. w) Attamen in casu in foro ciuili questionibus motis obuio non statim temere pro legitimo (§. XX.) declarandus est partus in fine decimi mensis natus, cum haud adeo frequenter ille obseruetur, adeoque praesumtio saltim aliqualis illicitae veneris semper subfit, sed circumstantiae antea probe sunt expendenda: an maritus lenta, aut subitanea morte occubuerit; an ante obitum longiori temporis spatio ad generandum ineptus, aegroto nempe corpore usus fuerit; an verae aut saltim probabiles causae partum retardantes adfuerint, nec ne; an modestae vitae et suspicione illicitae consuetudinis libera sit femina, an potius morum ratio suspicionem adauget; an partus editus sit maturus, aut praematurus, id quod ex signis supra (§. XXIX.) recensitis cognoscitur, cum de posteriori, quippe non maturo et hinc breuiori temporis spatio in utero matris gesto, quod post mortem matriti, vel eiusdem ab uxore separationem conceptus sit, maiori certitudine iudicari queat.

Schol. Sunt, qui credunt IVSTINIANVM per Nov. 39. c. 2.

§. 1. vbi ita legitur: *si peperit mulier circa terminum anni, tunc indubitatum esse, solum non consistere ex priori matrimonio; terminum hunc prolongasse, ita ut etiam partus in principio undecimi mensis pro legitimo*



legitimo haberi debeat. x) Ita tamen interpretari non debere aliis placet, cum sub *termino anni* non tam principium undecimi mensis, quam duo ultimos meses anni luciferi subintelligi credant. Vid s. c. o c c x.
I V M in L.I. T. VI. p. m. 83. 84. 85. Ill. H E L F E L D in Iurispr.
forens. §. 118. S C H A V M B V R G in Comp. Digest. Tit. de Stat.
hom. §. 8. Si ex medicis principiis iudicandum est, non necesse est,
vt fiat talis prolongatio termini, ad quem vique legitimus nasci possit
partus, cum rarissime ad finem decimi mensis grauiditas a conceptione
extendatur.

i) Conf. R O E D E R E R I Elem. art. obſtetr. §. 223.

E I V S D. Differt. de temporum in grauiditate et partu aestima-
tione 1757. Gotting.

v) Vid. M O F F M A N N. in Historia Iuris Part. II, p. 186.

w) L. 3. §. 11. D. de suis et legit. haered.

x) Vid. c. W I L D Y O G E L I I Diff. Iurid. de Partu Legitimo 1710.
Ienae §. XV.

§. XLIII.

Seriores autem partus et magno admodum interuallo
serotini, artis obſtetriciae doctorum castis obſeruatis non
respondent. y) Non desunt quidem paſſim obſeruationes
partuum undecimestriū, ſed prouti ſuſpicio ne ca-
rent, ita partui duodecimestri, tredecimestri, etc. fides
habenda non eſt. *Absit, inquit D E T H A R D I N-*
G I V S, z) *ut experientiam Celeberrimorum quorundam*



medicorum in dubium plane vocem ; vel ea de nihilo esse perhibeam, quae integrae Facultates variis argumentis statuminare voluerunt, licet dissimulare non possim, medicos hosce in fauorem matrimonii quandoque extitisse iusto liberaliores et a probabilitate ad certitudinem rei conclusiones suas formasse. Hinc casus a nonnullis in contrarium prolati aut ex signis grauiditatis incertis et errore calculi proueniunt, aut a viduis earumque defensibus vana castitatis specie ficti censemur. Et cum ex mensibus subsistentibus, inordinatis, grauiditatis quaedam alia signa interdum efficientibus ; ex vteri inflatione, mensium inordinatorum saepe comite, dum a sanguine grumoſo retento et in vtero putrescente, indeque aere elasto libera-
to, abdomen expanditur ; ex motibus flatuum, in abdo-
mine motum infantis mentientibus, nihil certi de grauidi-
tate iudicari poscit : a) intelligitur quid de casibus, talibus
gestationis fundamentis nitentibus, iudicandum sit, ad quo-
rum classem etiam ille IAVOLENAE partus posthumus
tredecimestris, marito 59. annorum haud adeo longo inter-
vallo post celebratas nuptias mortuo, non sine ratione perti-
nere videtur. b) Ut enim partus ferotinus rite diiudicari
queat, ante omnia certitudo quoad terminum conceptionis
requiritur. Saepe enim flatu attollit vterum mensibusque
subsistentibus, inordinatis, aliquis signis gestationis incer-
tis praesentibus, de grauiditate sibi imponere feminas, expe-
rientia saepe docuit, quae cum concepisse arbitrantur, licet

non



non nisi mense subsequenti, vel altero concipient, postmodum foetum serotinum edidisse sibi aliquis persuadent.

y) C. ROEDERERI Elem. art. obsteir. §. 223.

EIVS D. Dissert. de temporum in grauiditate et partu aestimatione §. IX.

z) in Dissert. de foetus immaturi exclusione Rostoch. 1748. §. VI.

a) Conf. VAN SWIETEN Commentar. T. IV. §. 1239, 1224.

b) in Dissert. C. G. WAGNERI de partu tredecimestri Praefide
L. MEISTERO. Helmst. 1727.

§ XLIV.

Notandum tamen, quod partus rariores longo admodum interuallo serotini eiusmodi conditionis, ut imperfecti, mortui, putrefacti, exsiccati, in ouariis, tubis FALLOPII, et cauo abdominalis interdum delitescentes, post longam moram excludantur, hic loci partum serotinum suffulcire nequeant, cum de grauiditate tali extraordinaria et cum causa morbosa coniuncta in foro disceptatio intercedere, et praecipue in foro ciuali, non soleat; quoniam hic causae, partus talis iustum exclusionem impedientes, in dubium vocari non possunt.

§. XLV.



§. XLV.

Quid ratione partus suppositi, superfoetationis, monstri, hermaphroditii, partus gemellorum, in legitimitate, successionibus et haereditatibus capiendis vel transferendis notandum sit, adhuc differere possem; ast cum talia partim rarius occurant, partim quoque ex suis principiis, ex medicina forensi petendis, facile dijudicari queant, ne nimis prolixus euadam dissertationisque cancellos transgrediar, vela iam contraham.

F I N I S.



Errata.

- p. 19. lin. 18. pro §. IV. c. Schol. lege §. XIV. c. Schol.
- p. 21. lin. 19. pro quae lege qui.
- p. 22. lin. 14. pro eeleritatem lege conformatiōem.
- p. 22. lin. 27. pro aprico lege apricum.

ULB Halle
004 453 824

3



S6



B.I.G.



DISSERTATIO
MEDICO-FORENSIS

DE
PARTV LEGITIMO

QVAM

OMMENVM IN AVSPICJIS

CONSENTIENTE
GRATIOSA FACVLTATE MEDICA

PRAESIDE

CHRISTIANO RICKMANN
MEDICINAE DOCTORE

D. XVI. OCTOBR. CICIO CCCLXVII

P V B L I C E D E F E N D E T

IO. GABRIEL GOTTLIEB DOPPELMAIR

BRANDENE. BARVTH.

MEDICINAE DOCTOR ANDVS.

IENAE

EX OFFICINA HELLERI.

